



## Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Burchardi VVormaciensis Ecclesiae Episcopi,  
Decretorum Libri XX. ex Consiliis, & orthodoxoru[m]  
patru[m] Decretis, tum etiam diuersaru[m] nationum  
Synodis, ceu loci communes congesti, in quibus ...**

**Burchardus <Wormaciensis>**

**Parisiis, 1549**

Item redemptio illius anni, quem in pane & aqua poenitere debet. xxi.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10722**

*Item redemptio illius anni quem in pane & aqua  
pœnitere debet. Cap. XXI.*

*Ex pœni-  
tentiali  
Theodo.*

**I**tem qui ieiunare nō potest, & obseruare quod in pœnitentiali scriptum est, hoc faciat quod sanctus Bonifacius papa constituit. Pro vno die quem in pane & aqua ieiunare debet, roget presbyterum, vt Missam cantet pro eo, nisi sint crimina capitalia quæ confessa prius lauari cum lachrymis debent, & tunc ipse adsit & audiat Missam, & deuotè ipse offerat propriis manibus panem & vinum manibus sacerdotis, & intentè respondeat quantum sapit ad saluationes, & ad exhortationes sacerdotis, & humiliter Deum deprecetur, vt oblatio quam ipse & presbyter pro se & pro peccatis suis Deo obtulerunt, Deus omni potentia misericorditer per angelum suum suscipere dignetur. Et eo die excepto vino, & carne, & sanguine, comedat quicquid vult. Et sic redimat reliquos anni dies.

*De illis qui ieiunare non possunt, & habent vnde redimere possint. Cap. XXII.*

*Ex eodē.*

**S**i quis fortè non potuerit ieiunare, & habuerit vnde possit redimere, si diues fuerit pro septem hebdomadibus det solidos, XX. Si non habuerit vnde tantum dare possit, det solidos, X. Si autem multum pauper fuerit, det solidos tres. Neminem verò conturbet quia iussimus dare solidos, XX. aut minus: quia si diues fuerit, facilius est illi dare solidos, XX. quàm pauperi tres. Sed attendat vniquisque cui dare debeat, siue pro redemptione captiuorum, siue super sanctum altare, siue Dei seruis, seu pauperibus, in eleemosynam.

*De illis qui non possunt adimplere, quod in pœnitentiali scriptum est. Cap. XXIII.*

*Ex eodē.*

**Q**ui non potest sic agere pœnitentiam vt superius diximus, faciat sic: Si tres annos continuos ieiunare debet, & ieiunare nō potest, sic redimere potest. In primo anno erogat in eleemosynam solidos viginti. In secundo anno erogat in eleemosynam solidos, XX. In tertio anno solidos, XVIII. Hoc sunt solidi, LXIII. Potest autem homines plus dare debent: quia cui plus committitur, plus ab eo exigetur. Et qui illicita committunt, etiam à licitis se abstinere debent, & corpus debent affligere.